DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

HYDRENCEPHALO.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE HYDRENCEPHALO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS JOHNSTON,

Scotus,

SOCIETAT. REGIÆ MEDICÆ EDINEN. SOCIUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCII.

MDCCCXXIII.

PATRI MEO

QUAM MAXIME DILECTO

JACOBO BROWN JOHNSTON, M.D.

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. SOC.

HASCE PENNÆ MEÆ ET ARTIS PRIMITIAS,

ILLI OPTIMO JURE

REPETENDAS, CONSECRATAS

VOLO.

MEO AVUNCULO VIRO EXIMIO

ROBERTO JOHNSTON

MULTIS VIRTUTIBUS TAM PUBLICIS QUAM

PRIVATIS EDINBURGI INSIGNI,

OB MULTA IN ME BENEFICIA COLLATA,

HOC ANIMI GRATI

TESTIMONIUM, UT ET AMORIS FERVIDI PIGNUS,

DEDICARE VOLUI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

HYDRENCEPHALO.

AUCTORE ROBERTO JOHNSTON.

QUÆDAM GENERALIA PRÆFANDA.

In omnia clausa corporis cava infunditur latex aquosus, qui superficiem lubricet, adhæsioni occurrat, et, ubi motus est, hunc quam facillimum reddat. Hic latex, tam in ceteris corporis partibus quam fluidis, nisi forte bilem excipias, ab arteriis derivatur; et vasa quæ serum, ut vocatur, secernunt, *arteriæ exhalantes* vel *serosæ* dicuntur. Si vero laticem assidue infundant, nisi alio diducatur, non potest esse quin accu-

mulatio fiat. Huic vitio vasorum genus, *absorbentium* dictorum, obstare constat, quamvis olim munus adeo necessarium venis rubris attribuebatur. Verum utrum talis exhalantium vel contra absorbentium actio morbida existat, annon, quâ illa plus humoris infundant, aut hæc minus quam in statu sano exhauriant, haud dubium est accumulationes fieri, quæ morbum dirissimum *Hydropem* vocatum efficiunt.

Hydropis autem varia genera existunt, quibus singulis nomina a partibus quibus maxime incumbunt, aut ex aliis rebus, adduntur. Horum omnium Hydrocephalus, aut, ut potius dicatur, *Hydrencephalus*, attentionem medici optimo fortasse jure sibi vindicat, sive ad organum quod invadit, sive aggressionis frequentiam finemque lethalem spectamus, sive demum difficultatem quâ in multis exemplis a quibusdam aliis morbis distinguatur, observamus. Ut facilius rationem reddamus effectuum quos præstat in illo nobili organo, a cujus statu sano cunctæ cum corporis tum mentis functiones tantum et tam manifeste pendent, oportet conspectum cerebri,

et involucrorum ejus, in corpore tam adulto quam juniore, raptim capiamus.

PARTIUM CONSPECTUS.

Ut cerebrum a læsione externâ incolume existat, curâ haud mediocri, Natura præcavit. In validâ thecâ tribus, molis, crassitudinis et densitatis variæ, ossibus constante includitur; hæc inter se invicem per *suturas*, ut vocantur, in diversis hominibus variorum generum, connectuntur.

Theca sic formata *Cranium* appellatur, cui dant figuram quæ continet ab involucris iterum affecta; hæc, vero, a parte externâ sunt communia integumenta, musculus Epicranius, osseumque tegumen generale hic *Pericranium* dictum. Præterea, autem, alii musculi, ossaque alia existunt, quæ cerebrum ad fundum involvant. Cranium ab internâ parte obtegit membrana densa, *Dura Mater* appellata, ex stratis duobus constans, quorum internum duplicatum,

duos summi momenti Processus format, alterum *Processum Falciformem* qui cerebrum bipartitur, alterum inter Cerebrum et Cerebellum interpositum, et *Tentorium Cerebelli Superextensum* denominatum. Cerebrum quod Cranium continet in *Cerebrum* et *Cerebellum*, horum prolationem *Medullam Oblongatam* dictam, et novem nervorum parium originem, dividitur. Proxime circa hæc membrana, Durâ tenuior et mollior Pia Mater appellata expanditur; super quam vasa sanguinem vehentia distribuuntur. Inter omnia convoluta, ut cavis internis obducatur, se insinuat; inter hanc et Duram tenuissima membranæ cellulosæ dilatio, *Tunica Arachnoidea* dicta, interponitur. Cerebrum in duas partes, *Hemisphæria* vocatas, dividitur, et substantia ejusdem etiam ex duabus partibus, specie, texturâ, et colore, inter se diversis, consistit; alterâ ad superficiem Corticali, aliquando vero, ex colore, Cineritiâ, vocatâ, alterâ ad centrum sitâ, subalbidi coloris, et in sectionibus quibusdam speciei fibrosæ, *Medullari* appellatâ.

In animalibus generis Mammalium cerebri

superficies in convoluta, sulcis interpositis, formatur. Ambo dimidia inter se connectuntur per *Commissuras* ut vocantur, ad numerum quatuor, quæ *Magna*, *Anterior*, *Posterior* et *Mollis*, denominantur; harum omnes præter postremam ex substantiâ Medullari formantur. Sunt etiam cava quatuor, nomine *Ventriculi*, in se iterum hiantia, quibus Pia Mater obducitur. Intra Ventriculos sunt quædam partes quibus nomina adduntur, quorum autem singulæ functiones adhuc prorsus ignotæ sunt; earum igitur nomina hic tradere supervacaneum foret.

Cerebro sanguinis copia suggeritur a truncis quatuor haud parvis, qui inter se, ut subsidium omnibus partibus assiduum sit, communem liberumque aditum habent; ne cerebrum torrentibus subitis intrent omni curâ cautum est. Hi trunci primo cursum tortuosum habent, postea autem quum jam cerebri substantiam attigerint, quasi ejusdem teneritatem scirent, se in rivulos innumeros distribuunt: Magna cura quoque in sanguine ex cranio evehendo ostenditur; ramuli minuti eum a Cerebri substantiâ

accipiunt, in vasa majora super Pia Matre coeunt, et suum sanguinem in quædam cava, seu sinus, inter Duræ Matris membranulas sitos, ad dextrum cor per venas magnas, *jugulares internas* dictas, reducendum infundunt.

Opinio quorundam absorbentia nulla esse in cerebro, neque Moschani ea cernere potuisse, quia ipsi certe non vidissent, vix mihi hic memoranda videtur. Possuntne dicere, quæso, quod in tendinibus ligamentisque absorbentia perspicere nequiverint, nihil ejusmodi in iis existere? Verum etiam si nulla injectis Moschani fides adhibenda est, tamen ex analogiâ talia in cerebro vasa esse concludamus fas est; immo in quibusdam hujus organi et membranarum ejus morbis, glandulæ cervicis concatenatæ, morbidæ factæ, et ampliatæ, repertæ sunt—hæ glandulæ pro parte ratâ frequentiores sunt quam ex aliâ conditione essent—cursum vasorum ad cerebrum euntium et ab eodem redeuntium obsident—partesque cerebri et fluida intra et super hoc effusa absorpta fuerunt—quæ omnia talia in cerebro vasa existere satis comprobant. Cerebro

et ejus involucris cum iisdem in foetu et infante collatis, mirum discrimen ostenditur : in adulto suturæ tam valide inter se connectuntur, ut in exemplis quibusdam divelli nequeant ; in ætate autem extremâ sæpe penitus obliterantur : in corpore vero adhuc tenello multis in partibus, periosteo externo et interno solummodo conjunguntur ; quinetiam, in quarundam suturarum cursu, ossa haud parum a se invicem distant ; hoc sæpius prope commissuræ sagittalis cum coronali juncturam accidit, speciesque ita præbita *Fontanella* seu *Bregma* vocatur. Cranium sic conformatum angustiis inter partum, incrementoque eorum quæ continet futuro, se facilius accomodat ; quin et in corpore juniore et molliore cerebrum ipsum effectuum pressuræ minus sentiens videtur, in quibusdam enim partûs difficilis exemplis, caput compressionem minime parvam adhuc illæsum patitur. Haud dubium est, hæc infantem inter et adultum discrimina maximi momenti effectus in Hydrencephalo præstare.

MORBI HISTORIA.

In hoc morbo effusio a membranis quæ cerebri superficiem tegunt, fit, Hydrencephalum *Externum*, aut, ut sæpius accidit, intra ventriculos, Hydrencephalum *Internum* efficiens. Dr C. Smith, qui egregium de hoc morbo tractatum edidit, aliam divisionem in Primarium et Symptomaticum suadet. Dr Whyte, qui olim hujus Academiæ unus e multis decoribus fuit, Hydrencephalum tres gradus habere censet. Ille primus hoc malum accurate delineavit, et medicorum attentionem ad ejus rationem secundum scientiam reddendam perduxit; et, quod ad divisionem hujus et signa attinet, ex eo tempore multi scriptores medici opiniones ejus haud parvâ veneratione secuti sunt.

GRADUM PRIMUM HYDRENCEPHALI,

INITIUMQUE morbi, indicant dolor capitis, alvus astricta, indoles animi varians, appetitûs defectus, oculus lucis nimis sentiens, pupillæ dilatatio, strabismus levior, fæces profunde virentes et valde foetidæ, oleique speciem quodammodo præbentes, intestina haud facile per medicamenta purgantia mota, vomitus, dolores ad imam colli vertebram, cupido decumbendi, arteriarum pulsus centies et vicies aut centies et tricies, aliquando ad centies et quadragies, intra sexagesimam horæ partem, repetiti, sed neque validi neque pleni, sitis immodica, et calor cutis haud parvus.

SECUNDUM GRADUM

HUJUS morbi præcipue indicat in pulsuum vice mutatio; pulsus, in primo gradu frequentes, tardi sæpe præter naturam, intermittentes et

abnormes fiunt, quod ad vehementiam signa priora multùm ingravescunt, spiritus graviter olet, vultus summam anxietatem exprimit, ægri se a pulvino sustolli non tolerare possunt, et siquando in lecto erigantur, ejulatus voce intentâ, quasi doloribus extremis laborantes, edunt; sæpe quoque ingemunt; febris augetur; sensus lucis sonitûsve minuitur; musculorum oculi paralysis, et dilatatio pupillæ totalis, accedunt; coma supervenit, interdum vero delirium subsultusque tendinum.

GRADUS TERTIUS

Et ultimus a duobus prioribus distinguitur, statu pulsuum in mirum modum mutato; pulsus vacillant; iterum frequentes et intermittentes fiunt; in quibusdam exemplis ad numerum ducentorum intra horæ *minutum* accelerati fuerunt; et ad extremum æger, a statu organorum generumque organorum in corpore, solitis stimulis, sive naturalibus sive arte admotis, magnâ saltem

ex parte, immobili, in amplexus mortis paulatim transit.

Dr C. Smith signa hujus morbi recensens in duo genera distribuit, alterum a cerebri compressione, alterum ab irritatione tenuiorum membranarum invicem a distentione ortâ, pendens. Veruntamen, irritationem et distentionem indicia, quæ veluti ab iis causis pendentia enumerat, nimirum, febrem symptomaticam, dolorem capitis, dolores ad imam colli vertebram et in membris quoque, lucis sonitûsque sensum morbosum, strabismum, et fortasse, ut ille ait, dilatationem pupillæ, gignere posse adhuc dubitari potest: iracundiam, nauseam, vomitum, ejulationem, horrorem intra somnum, musculorum et tendinum subsultum, in Append. Notul. A. enumerat; " I do not, however," inquit ille, " ascribe the symptoms of irritation in the case of Hydrencephalus either to pressure, or acrimony of the extravasated fluid in the brain, but to the distention of the fine membrane lining the ventricles; and to this conclusion I am led by analogy, having constantly observed irritation, and

often pain, excited from distention of similar membranes in every part of the body." Exempla quæ ad suam opinionem confirmandam adducit, sunt irritatio dolorque cutis a tumoribus, *Anasarcâ* formatis, dolor et irritatio ab aëre in intestinis intercepto, dolor et irritatio ab Ureterum Ductûsque Caledochi distentione, calculis, concretionibusque biliosis, incremento et provectione dentium infantis, et demum irritatio ab Uteri in primis gravitudinis mensibus distentione. Hæ vero membranæ cerebri membranulis haud parum absimiles existunt; in functione quidem, texturâ, et fabricâ, inter se differunt. Aliud autem est quod Dr Smith in suâ *Analogiâ* præterierit, accumulationes aquæ, scilicet, in *Pericardio, Tunicâ vaginali,* Teste, Peritoneo, &c. Harum membranarum distentioni dolor vix ullus aut irritatio referenda est, et tamen hæ, quod ad fabricam et usum attinet, cerebri membranis, quam eæ quas Doctori Smith enumerare placuit similiores plane existunt. Profecto, igitur, concludere licet membranas distentione ab aquâ in Hydrencephalo affectum iri. Nonne, autem,

hæc distentio tales, si non quidem majores, in cerebri ipsius substantiam effectus præstabit? Irritationem membranarum paralysin sexti nervorum paris, ideoque strabismum efficere, aut lucis sonitûsque sensum minutum inducere, adhuc probandum manet, fortasse etiam semper manebit: hæc signa quidem, quæ ab eâ causâ pendere credit, ulli aliæ causæ æquo jure referri possunt. Secundam causam, cerebri compressionem, scilicet, multa ex his symptomatis gignere haud omnino dubitandum est.

Dr Car. Gul. Quin, in suo de cerebri Hydrope tractatu, exempla in quibus compressio non ab aquæ effusione sed a vasis sanguinem vehentibus suo humore nimis turgidis orta est, commemorat.

DIAGNOSIS.

Multa ex signis, hic quasi Hydrencephalum demonstrantibus traditis, in dentitione, et cum vermes intra corpus hospitantur, et etiam in Tabe Mesentericâ, observantur; attamen, si ad sum-

mam signorum quam accurate spectemus, haud difficile erit a quolibet talium morborum Hydrencephalum discernere.

A dentitione in infantibus, gingivarum conditione, salivæ fluxu, alvo sæpius liquidâ fæcibusque aquosis, facile distingui potest.

Siquando vermes hæc symptomata efficiunt, abdomen durum est, appetitus cibi aliquando vorax, aliquando contra parvus, existit, frequens et liquida alvi dejectio est, signa per medicamenta purgantia levantur, æger sæpe nasum digitis purgat, dentibusque collisis frendet.

A Tabe Mesentericâ Hydrencephalus, capite et oculo in illâ parum aut nihil omnino affectis, alvo quam sæpe solutâ, et morbo tardius progrediente, dignoscitur. Diuturnitas morbi cujus indicia jam modo enumeravi, tam quod ad ægri ætatem et constitutionem, quam lenitatem sævitiamve aggressionis, variat; fere, tamen a duobus hebdomadis ad quinque, vel sex etiam, durat.

QUÆ IN CADAVERUM INSPECTIONE APPARENT.

Cadaveribus eorum qui huic morbo occubuerunt patefactis, plus minusve aquæ intra ventriculos, et aliquando in cerebri superficiem paululum effusum, reperitur. Aqua sic reperta pura et limpida est, et copiam albuminis minorem, quam in similibus aquæ accumulationibus, aliis corporis partibus formatis, observatur, in se continet. Interdum in superficie, maxime vero circa cerebri fundum, lymphæ coagulabilis depositiones haud parvas spectamus. Ventriculorum superficies interna Plexusque Choroides sæpe ad albedinem eloti videntur. Vasa sanguinem vehentia haud rara humore suo plena et distenta reperiuntur, et in duobus exemplis a Doctore C. G. Quin commemoratis, et quorum nos quoque in parte hujus tentaminis priori mentionem fecimus, nulla aqua omnino in ullâ cerebri parte detegi poterat; inquit vero, "The blood vessels were so unusually distended, that the whole of the cerebrum and

cerebellum resembled an anatomical preparation, in which the utmost force of injection had been employed."

Quædam aliæ partes morbidæ factæ repertæ sunt, nullæ tamen tam sæpe, ut vel pro causis vel effectibus hujus morbi miserandi habendæ sint.

Hydrencephalus vetustus a quibusdam morbus ab Acuto sejunctus habitus est, et in multis rebus profecto haud parum discrepant. Vetustus in initio suo infantes solummodo invadit, et sæpissime morbus congenitus est; in exemplis quibusdam, caput ad ingentem magnitudinem pervenit; infantes quibus incumbit fere deformes, parvi, mentisque inopes, existunt; interdum autem prosperâ valetudine uti dicantur, quoniam complures ad ætatem adultam perveniunt, serius ocius vero hoc morbo, cum multis Acuti indiciis deperituri.

Mense Januario, 1822, cadaver ægræ quam Pater meus curabat, patefactum videndi mihi occasio fuit; in eâ morbus congenitus erat. Circa quartam vel sextam hebdomadam post-

quam nata fuerat, caput præter naturam magnum observatum est, et ab eo tempore in molem majorem, ad tertium aut quartum annum usque ante obitum, qui vicesimo secundo suæ ætatis anno accidit, paulatim provectum est. Paucis ante mortem diebus Pater invisit; tum oculi vasa sanguine, sicut in Ophthalmiâ, distenta fuerunt; convulsiones insecutæ sunt, quæ, paucis post diebus, morte rapuerunt. Cranio aperto, huic quam valide adhærentem Duram Matrem invenimus, Cerebrum vesicæ aquâ plenæ haud absimile fuit, vasa ad plenum sanguine repleta fuere, et oculo anatomicè instructo speciem pulcherrimam præbuere: circa partem hemisphærii sinistri posteriorem tres fuerunt portiones, et in hemisphærio dextro una, sine ullâ substantiâ cineritiâ, quasi tenui medullari telâ semitranslucente relictâ, absorpta fuissent; ea tela porro compaginem fibrosam exhibuit. Super his partibus inventa sunt quædam ossea puncta; in lobis posterioribus convoluta obliterata fuerunt; a cursu tamen vasorum sanguinem vehentium, ubi antea fuissent cernere potuimus. Pia Matre

amotâ, nulla convolutorum species omnino percipi potuit. Super partibus anterioribus, vero, convoluta sulcique interpositi, sed haud solitæ altitudinis apparuerunt. Convoluta ad cerebri fundum nil præter solitum exhibuerunt; hemisphæriis disjunctis *Corpus Callosum* valde tenue, latum et translucens, compagesque fibrosa clarissime apparuit; ventriculis apertis, aqua pura ad decem sextarios quartamque sextarii partem, secundum mensuram Anglicanam, emanavit.

Hemisphæriorum aspectus superior et lateralis crassitudinem sanæ vesicæ haud superàrunt. Septum Lucidum validius, a parte inferiore sursum, et a parte anteriore retrorsum valde extensum fuit. Corpora Striata, Thalamique Nervorum Opticorum præter naturam ampli observati sunt—tota superficies interna ad albedinem elota, quasi diu in aquâ macerata, apparuit—in utroque Choroides Plexu corpus cartilaginosum repertum est. A Corporibus Striatis Thalamisque Nervorum Opticorum fasciolæ fibrosæ, superficiem Ventriculorum internam obtegentes, divaricatæ sunt—fasciolæ similis naturæ a Corporis Callosi *Raphe* se distribuerant, fibræ a

Thalamis Striatisque ad eas Callosi non productæ fuerunt; sed spatium sescunciale, ubi talis fabrica non omnino cerni potuit, interjacebat. Totus cerebri fundus haud parvâ lymphæ coagulabilis copiâ obductus est.

Medullaria Cranii contenta ponderata fuerunt ii. pondo vi. unciæ dimidiumque. Cerebrum ii. pondo i. uncia et pars unciæ quarta. Cerebellum, Tuber Annulare, Medullaque Oblongata, v. unciæ et pars quarta. Cranium hic memoratum nunc locum in Collectione Preceptoris mei egregii Doctoris Aitkin tenet. Ab altero Meatu Auditorio ad alterum per fundum, iii. pollices et $\frac{15}{18}$ transversim patet. A parte Condylis ossis Occipitis anteriore ad Glabellam per Tempus alterum, v. pollices et $\frac{5}{8}$; a posteriore Foraminis Magni margine ad Glabellam per verticem in plano sphærico, xxiv. et $\frac{6}{8}$; ab altero Meatu Auditorio ad alterum per caput, xxi. et $\frac{6}{8}$; circumambitus maximus xxix. est. Cranium penitus in os conversum est; et suturæ in multis partibus per ossa supernumeraria pene innumera completæ sunt.

CAUSA.

Quod ad hujus morbi causam vel causas pertinet, scriptores medici diversissimas opiniones protulerunt; alii enim inflammationi; alii debilitati; alii demum absorbentium rupturæ et sanguinis cor versus reditui impedito, attribuunt.

Nemo, ætatis sexûsve cujuslibet, ab ejus ingressionibus immunitatem habet; in primis vero vitæ gradibus, et, si Morgagni credatur, in sexu muliebri quam virili, sæpius observatur—raro, si unquam, validos et robustos invadit, tametsi aliis alias dicere placuit. Quasdam familias præ ceteris huic morbo obnoxiores esse, per observantiam cujusque medici, jam pridem pro certo constat; et hoc tam sæpe notatum est, ut, siquando aliquis ex familiâ hoc morbo laboret, de ceteris ejusdem liberis medicus sibi statim præcavendum putet, probe sciens nullum alium morbum, animi attentionem ad prima indicia, et remedia mature adhibita, tantum requirere; quum mora paucarum solummodo horarum ægrum prorsus insa-

nabilem reddere possit. Si ad observationes omnium qui de hoc morbo scripserunt, spectamus, fortasse concludere fas est Hydrencephalum plerumque, si non profecto semper, in hominibus Dietheseos strumosæ accidere, et in initio irritationem cerebri et ejus vasorum esse, longe verò a Plethoricâ, Phreneticâ, aut Apoplecticâ sanguinis in illo organo congestione distantem, et curationem in multis rebus diversam postulantem.

Discrimina quæ inter Vetustum et Acutum intercedunt, a statu cerebri et a lenitate, aut contra acerbitate aggressionis, magnâ ex parte oriri dicantur; si ante vel cito post partum accedit, a sensu cerebri minore craniique compagine molliore, ad morbi provectionem hæc sese paulatim accomodent, et collectio, quantam aliquando videmus, fieri potest. Talis sese accomodandi potestas in cerebro aliisque magni organis momenti per Anatomiam Morbidam comprobatur. Paucis ab hinc annis Dr Aitkin hominem aperuit in quo pulmo dexter pene totus absorptus erat; præparatum ex hoc factum ille in Doctoris Barclay Collectione jam reposuit;

homo tamen, sine ullo magno incommodo, per annos complures vixerat. Ulcerationes haud parvæ in cerebro, ejus functionibus adhuc parum impeditis, formatæ sunt. Multa exempla, quæ hanc corporis organorum dotem demonstrent, decantantur, si vero læsiones tantæ subito accidissent, haud dubium est quin ægrum statim e medio sustulissent; ubi igitur in Hydrencephalo aggressio vehemens est, neque suturæ morbo cedunt, æger cito Acuto necatur, nisi per idonea remedia superari possit.

CURATIO.

In curatione, actionem auctam minuere, vasa absorbentia excitare, et simul signa de morbo pendentia levare, medico operandum est. Ægrum frigidulum et tranquillum præstare oportet, neque luci neque stridori cuivis objectum; caput ægri bene suffulciendum est; status alvi nunquam negligendus; cibus tenuis facilisque concoctu concedendus; pedes calore fovendi; dia-

phoretica et diuretica mitia adhibenda sunt; ne hæc medicamenta vero, quippe quæ corpus valde infirment, nimis libere adhibeantur, cavere necesse est.

Quoniam hic morbus eam ætatem et eos invadit, in quibus libera sanguinis detractio periculosa foret, hirudines temporibus admotæ sæpius laudatæ fuerunt; quoniam autem nobis curæ est, vasa quam proxime morbi sedem deplere, forsitan magis e re nostrâ foret, sanguisugas interno oculi angulo, nasi lateri, frontique, admovere, ut ab uno ramorum Carotidis internæ, Ophthalmico scilicet, sanguinem detrahere possimus. Ad incisiones altas in occipite quoque confugitum est, et hæ in exemplis compluribus profuisse dicuntur. Vesicatoria quoque laudibus haud parvis efferuntur.

In morbo, pariter ac in eo de quo nunc agitur, pertinaci, ad omnia, quæ aliquid proficere possint, confugere fas est; quorum actionis quæcunque sit ratio, verisimile est multo sæpius profuisse in exemplis ubi humoris detractio per aliquod temporis spatium continuata fuerat; ad

talem detractionem efficiendam fonticuli usurpati sunt ; nec melius exinanitionum arte factarum commoda explicare possum, quam exemplo mihi a Patre meo communicato memorando. In familiâ ex cujus liberis unus et alter Hydrencephalo deperierant, cum signa ejus morbi in tertio quoque se prodere cœperunt, fonticulus in ejus cervicem inserendus præscriptus est. Pharmacopolæ imperitia causticum (Potassa, *olim* Causticum commune acerrimum) per cervicem humeros et tergum diffluere situm est, exuvias emortuas large excidere, et exinanitionem vix non lethalem efficiens. Indicia Hydrencephali vero evanuerunt, et qui quondam æger erat, nunc juvenis sanus est, et ad annum ætatis suæ duodevicesimum pervenit.

Omnium autem remediorum, quæ in hoc morbo sanando usurpantur vel laudantur, Hydrargyrus, caute et perite adhibitus, optimum existit ; de eo quidem in Hydrocephalo dici potest. " Quod alia non sanent, Mercurius sanet, quod Mercurius non sanet, insanabile est."

A Doctoribus Percival et Dolson pericranium

Unguent. Hydrarg. perfricare suasum est, fortasse, vero, magis utile erit, caput vesicatorio imponendo inoccupatum servare; neque profecto admodum liquet, quo pacto unguentum super caput perfrictum eidem remedio cuivis aliæ corporis parti admoto præstet, quoniam minime verisimile est, id per cerebri absorbentia transiturum esse; aptissima et optima forma hujus medicamenti est Calomelas interne adhibitus. In mense Novembri, anno 1820, puerum hoc morbo laborantem et a Doctore Aitkin tractatum vidi; cujus exempli mentione hoc tentamen ad finem perducere mihi liceat. Gul. Stewart, ætatis 6, Hydrencephalus invasit; frater ejus anno ante eodem morbo mortuus erat, ceteraque familia Dietheseos strumosæ haud dubie fuit. Strabismus, dilatatio pupillæ, et alia symptomata molesta, adfuere. Dr Aitkin arcessitus Pulver. quatuor, unumquemque ex gr. v. calomel., cum kino paululum constantem imperavit, e quibus unus horâ quâque tertiâ sumendus erat; si vero intestina nimis afficerent, postremus omittendus erat et talis haustus devorandus Re. Tinct. Opii gtt.

viii, Vin .Antimon. gtts. xv, Aq. Menth. Pip. ℥/ ~~gtts.~~, contra si alvus non levaretur, unum aut alterum Olei Ricin., cochleare.

Hæc remedia per sex hebdomadas, uno die Pulveribus necessariò omissis, usque sumebat. Per totum temporis spatium supradictum, sensuum internorum impos jacebat, mobilissimus erat, et ad Comam sæpe vergebat ; tam macer et debilis fiebat, ut cyathus vini rubri unus aut alter quoque die præscriberetur. Quum primum autem corpus totum et os ejus Mercurio affecta sunt, quod non, antequam circiter ℈x. Calomel. sumpserat, accidit, signa in melius versa cito evanuerunt, et ad vim et robur magis indies crescebat.

Notatu dignum est, quod, etiamsi antequam in morbum inciderat legere quodammodo potuit, cum primum ad Scholam redierat, unam ab aliâ quâlibet literâ discernere nequiret ; nunc vero sanâ valetudine utitur, et in arripiendo quæ a preceptore traduntur suos condiscipulos æquat.

FINIS.